

Johann Bacmeister

**Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, D. Med. & Sup. Math.  
P.P. Facult. Med. Senior & p. t. Decanus. Ad Festum Sancto Spiritui Sacrum. Pie  
ac devote celebrandum Omnes Academiae Cives serio commonefacit : [P.P.  
Rostochii Sub Sigillo Academiae ... Anno MDCLXXVII.]**

Rostochii: Kilius, [1677]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977275>

Druck    Freier  Zugang



Ru. Progr. 1677  
Johannes Pacmister  
Progr. genuecostale



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn735977275/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977275/phys_0002)



RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**JOANNES BAC-  
MEISTERUS, D.**


Med. & Sup. Math. P.P. Facult.  
Med. Senior & p. t. Decanus,

AD

**FESTUM SANCTO  
SPIRITU SA-  
CRUM.**

Piè ac devotè celebrandum

**Omnes Academiæ Cives serio  
commonefacit.**



*ROSTOCHII,*

Typis Haed. JOHANNIS KILLI, Acad. Typogr.

R u Bruey 1677

**I**mmensam hanc, operosam, spatio-  
samq; Mundi machinam ac interemeratam  
propemodum molem, cuius structuram & pulchri-  
tudinem omnes merito, qui eandem ex voluntate  
ac beneplacito summi Omnitum rerum Directoris  
atque Moderatoris inhabitamus, admiramus, nec  
ipsam se fabricasse, sed omnipotentis DEI proprio  
consilio nullius necessitatis impulsu procreatam esse;  
nec ab infinito æternitatis tempore extitisse, sed aliquando existere coepisse,  
cum anteā non fuisset, vel initialia Sacri Codicis verba, IN PRINCIPIO  
CREAVIT DEUS COELUM ET TERRAM, abynde satis probant. Ex  
quibus autem materiis ista tām magna tām mirifica opera DEUS fecerit,  
neminem quārere debere, omnia enīa fecit EX NIHILO, Laetant. l. 2. c. 9.  
Statuit; Veteres tamen Philosophi æqvæ ac recentiores materiam seu sub-  
jectum, in cuius gremio maximus ille Macrocosmi Opifex structuram suam  
disposuit, determinant esse Ens primordiale, infinitum, informe, in poten-  
tia tām ad aliquid, quām ad nihil, nullius quantitatis seu dimensionis, nullius  
qualitatis, nullius proprietatis nec inclinationis, non movens, nec quiescens,  
sine ullo colore aut qualitate elementari; Omnia tamen actionum pas-  
sivum primum, rerumq; capax. Hinc etiam eam divinus ille Moyses modò  
terre vacue & inani, modò aqvis & abyssi; Mercarius Trismegistus in suis  
Pimandro Umbræ cuidam horrendæ, & in humidam naturam migrantem;  
Plato Matri, nutrici & sedi rerum genitarum; Augustinus tenebris & silen-  
tio; Pythagoræ dualitati, alii ceræ & luto, quæ apta sunt ad quālibet  
impressionem suscipiendam, compararunt. Nec repugnat rationi & pos-  
sibilitati DEI Materiam aliquam primam innumeris ante Mundum condi-  
tam seculis existere potuisse, quæ tamen non nisi soli DEO verè & essentia-  
liter cognita est, id quod satis in Timao suo Plato comprobare videtur, dum  
eam esse rem sine sensu perceptibilem, & ratiocinatione spuriā vix credibilem  
scribit. Duo autem ad materiæ istius primæ existentiam, si parumper phi-  
losophari licet, requiri certum est; quorum primum Ens est quoddam in po-  
tentia, quod est materiæ illius occultæ subjectum, aliud quāsi caliginosum  
ejusdem velum, evāslibet rei impressionem ab ea, quam diu illi adest, tol-  
lens, quod à Moysé vocatur Tenebra, quārum præsentia dicuntur Entia esse  
in potentia, ipsarum autem absentia de potentia ad actum dicuntur reduci.  
Haec igitur materiam adhuc informatam Moyses Abyssum appellavit, refe-  
rendo, quod tenebra fuerint super abyssum. Et haec erat illud Chaos seu  
mate-

materia confusa & indigesta, Cœli & Terra moles ab initio hians, ex quâ post modum cuncta sigilla im per species varias formasq; proprias ad Macrocosmi perfectionem & operis philosophici complementum prodierunt, de quâ inter alios Sulmensis Poëta l. i. Metamorph. Fab. i. luculento Certamine seqvētia memoravit.

Ante mare & tellus, & qvod tegit omnia cœlum,  
Unus erat toto naturæ vulcus in orbe.  
Qvem dixere Chaos; rudis indigestaq; moles:  
Nec qvicqvam nisi pondus iners, congestaq; cōdē  
Non benè junctarum, discordia semina rerum. &c.

Simulae verò Spiritus Domini dictus est ferri super aquis, igneum eis vigor rem exhibens, tenebræ paucitatem discesserunt, & qvod prius Abyssus propter caliginem horrendamq; illam ἀχθοσύνην, vocatum est, nunc informari incipiens, aquarum nomen sibi vendicavit; ipsarum etenim speciem representare visum est, priusquam in Spiritum per subtiliationem reduceretur. Videtur itaq; qvod Spiritus ille DEI in formâ spirituali circumambiverit aquas, illuminans motu suo obscuritatem illarum, ac radios suos in illas infundendo, eosq; ipsis post recessum suum, ut aquæ iis informarentur, relinquentendo, cum præsentia tuâ ineffabili modo omnia clarificasse & illustrasse spiritualiter, non secus quam Sol facit præsentia sua corporaliter. Et qvod lux illa increata, lucem in res creatas infundendo circulationem eandem primis tribus creationis diebus fecerit, quam motu suo deinceps Sol qvolibet die absolvit; atq; sic triplici illa circumvolutione tres produxerit dies spirituales s. supernaturales, in quibus Spiritus Macrocosmi universus formam & esse accepit, & qvod illuminaverit sphærā suam, in quâ erat, non aliter, quam illustrat Sol suam; similiterq; etiam qvod factæ sunt tenebræ in Hemisphærio opposito propter interpositionem materia grossioris, superioris & opacioris, in medio totius massæ informis seu umbra horrendæ. Lumente igitur gratia divina, vivit Mundus Mundiq; Creaturæ; illâ verò in se met ipsam tantum reflexâ, & aquis nigerrimis ac densis nubibus obvelante Creatore tabernaculum & sedem suam, desubitò Mundum ac Creaturas perire necessum est. Qvamvis itaq; certi simus, in ipso Creationis actu DEUM Patrem dixisse, & Verbo ejus firmatos esse Cœlos, ac Spiritu ab ore ejus omnem virtutem eorum, atq; sic Patre loquente, Filio creante, Spiritu S. animante factam esse omnem Creaturam, omnesq; tres Trinitatis Personas egisse ad Mundi creationem, nec verba illa Gen. i. v. 2. *Spiritus DEI incubabat superficie aquarum*, aliter quam de tertia S. S. Trinitatis persona à Patre & Filio procedente Spiritu sc. Sancto intelligenda esse. Reperti tamen

men quidam sunt, qui intelligi posse putarunt, vel de Angelo moveente se su-  
per aquas h. e. torqueante ac rotante primum mobile, cuius motu aqua &  
inferiora vivificantur: vel de Spiritu Universi, quem vacuum implere de  
atomos congregare contradictione quidam philosophi defenderunt; vel de  
Vento s. impulso aere, aliaq; nugamenta protulerunt, quae vel sponte sua  
ruunt, nec refutatione quapiam indigent, nisi velutius dicere, nec Veatum ut  
Meteoron ante Elementa carumq; primas qualitates existere potuisse; Me-  
teora enim non fuerunt creata nisi in suis causis; nec in ipsa Creatione sta-  
tim Aeolia est fabricanda, vel nivis atq; dira grandinis imber; nec primum  
mobile tunc fuisse conditum. Quia autem formam in ipso Creationis actu se-  
se exhibuerit Spiritus S., in hac quidem mentium nostrorum caligine vix  
aut ne vix quidem determinare licebit, setiussq; erit ignoranciam nostram in  
divinis rebus palam profiteri, ne nobis idem quod de D. Augustino prohibe-  
tur, contingat. Is enim, cum ineffabile mysterium Trinitatis in celo eius sui  
acumiae comprehendere studens, videret in maris littore scitam formam pu-  
ellum, cochleari quodam aquam maris in scroberem effossato transfunden-  
tem: Ecquo nam successu, mi Fili, inquit, hunc laborem te subire putas? Tum  
ille, Tu vero, mi Pater, respondit, majore fortassis conatu divinitatis in-  
telligentiam aggredieris, at successu non eris felicior; & hoc dicto evanuit.  
Quamvis enim est S. Scriptura revelatione mens pli fide percipiat, ut in soni  
illius admirabilis Spiritus Sancti scilicet personae productione dum alia per-  
sonae Pater atq; Filius concurrerint, ita ut iis mutuo se se amore tangentibus  
sonus ille eximiq; ineffabili modo processerit; immo licet quivis praeparatus re-  
natur ejusdem operationis vim atq; efficacia sati agnoscat atq; persentiat: mi-  
nimè tamē ejus origo, essentia, praesentia atq; operatio solo humano ingenio  
investigari, inveniri aut comprehendi potest. Notandum hic obiter ex mente  
Celebrissimi alicujus Theologi orthodoxi, unde Spiritum S. qui hic dicitur  
fovisse & incubasse aquis, in Creatione eodem ferè vocabulo ἐπιλέυσταις &  
ἐπισκιασμοῖς dici operatione sua foetum Virginis s. Christum hominem  
Mundi Redemptorem in utero Virginis efformasse Luc. s. v. 38. Sicut enim  
in incubatione Creationis: ita nec hic Spiritus S. causa fuit conceptionis  
Christi αὐτομάτη, uti impie comminiscitur Smalcianus: sed 1. δημιαρχηκ  
quantum ad ἀμεσον ἐνέργειαν, quā dedit Virgini facultatem sine virili semi-  
ne concepiendi. 2. αὐτομάτη quo ad θαυμάτον αὐτομάτη massa illius ab  
omni peccato. 3. τελεωτική quo ad δρόγην ἐνώπιον naturae humanae ē  
Virgine concepta cum naturā divinā ipsius DEI FILII. Agnovisse autem  
hunc ipsum Spiritum incubatorem, agitatorem atq; Creatorem etiam sa-  
miores

niores quosdam Ethnicos certum est; Teste qvippe Iamblichio Chaldaeum Oracula eum Amorem igneum à Patre & Verbo procedentem dixerunt. Platonici sūm vocarunt Animam mundi, uti hoc ipsum Plotinus Platonis eorum facile coriphæus in libro τῶν τετράντα δέκατων Κατοχής c. 2. de Anima Mundi, qvam pro Spiritu Sancto, uti opinatur Cyrillus Alexand. l. 8. contra Julian. posit, dilucide insuit, quando, Expendat, inquit, impri- mis omnis anima, Animam istam animalia omnia effecisse inspirante ipsius vitam, fecisse inquam viventia omnia, que nutrit tellus, & que mare, que in aere sunt, & que in celo stelle divine. Anima Solem, anima ingens hoc cœlum exornavit, ordineq; perpetuo ducit; existens profectò natura quedam ab his diversa, que ornat quem moveret, qvibus suggerit vitam. Ideoq; necesse est, his omnibus esse præstantiorem, qvippè cum hac & orientur, qvoniā anima suppeditat vitam, occidant quando destituit; Ipsa vero sit semper, propereq; qvod nunquam deserit semet ipsam. Gentiles, referente Plutarcho, eum descripsierunt esse ipsum Spiritum intellectualem & igneum, non ha- bentem formam, sed in quamcunq; voluerit se transformantem & se uni- versis coeq;vantem. Nonnulli eò processerunt, ut qvamlibet rem tantum sibi Deitatis vendicare statuerent, in quantum capax esset luminis. Nec mi- rum, cum DEUS ipse Lucem Mundi & Patrem luminum semet ipsum in verbo revelato vocet; cujus dono sancto seu spiritu igneo, qui Apostolis sub forma ignis hac ipsa die, qvam meritò devotè celebramus, apparuit, lux mundana h. e. igneus aqvorum vigor primo creationis die honorata est, & ex cuius substantia essentiali Cœlum & Terram, in quo Spiritus movebatur, eorumq; Creaturæ pulchritudines suas divinitus & metaphysicè acceperunt. Atq; hinc erat, qvod Democritus, Orpheus & multi Pythagoreorum, qvō- niam hujus divinæ naturæ virtutem omnibus Creaturis inferioribus secun- dum plus minùsve inesse percepérunt, omnia Diis plena esse opinati sunt, qvib⁹ divinos statuerunt honores, ac pro negotiorum varietate diversa no- mina ipsis tribuerunt. Nam vim divinam Cœlum & universa Mundi partes superiores gubernantem Jovem Deorum Patrem appellauint, cuius vim eam, qvæ sub terris esset, vocarunt Platonem, atq; illum Jovis fratrem nomi- narunt. Cùm vero in aquis eadem vis considerabatur, qvas divinâ Providen- tiâ carere non putabant, Neptunum dixerant, atq; hunc ipsum etiam cre- diderunt Jovis esse fratrem. Cùm per aera penetrarent, rursus vim ipsam divinam nuncuparunt Junonem, eamq; censuerunt esse sororem Jovis. Hos vero Deos omnes ad unum reducebant Jovem, reliquos qvotq; etiam ab illis numerantur, vel Jovis fratres, vel filios, vel nepotes, vel aliquā affinitate juncos fuisse, nō obscurè indigitantes. Ex qvo clare satis elucescit, nihil aliud hoc ipso significare Antiquos voluisse, qvam omnes caloris, claritatis, vite,

formarum.

que essentialium rivois ab unico fonte lucido supernaturali promanare, &  
ab ejus aqua perenni & spirituali incrementum & multiplicationem suam  
adipisci. Verum enim verò, licet ex his & similibus Sapientum hujus Mundi  
effatis atq; conceptibus conspicuum sit, illos non fuisse omnino expertes  
eorum, quae in Sacris literis tam de S. S. Trinitate, quam personā opereq;  
Spiritus S. contenta sunt. Attamen cum multa immiscent à roto  
et dōlo, de qvib[us] nec inter eos etiam satis convenit, & de operibus gra-  
tiosis Spiritus Sancti altum apud eos est silentium, certum esse permanet,  
mentem humanam juxta naturales suas vires ad agitionem Spiritus Sancti  
incomprehensibilem, tanquam lucem inaccessibilem conspiciendam con-  
currens & succumbere; DEUS namq; teste Hilario l. 5. de Trinitat. non  
nisi DEO authore cognoscitur, & ab ipso DEO discendum, qvid de DEvo-  
luntate intelligendum. Ipse SPIRITUS DOMINI est Spiritus Sapientiae  
& intelligentiae, Spiritus Consilii & Fortitudinis, Spiritus Scientiae & Timo-  
ris Domini Esaiæ c. 11. v. 2. Prout autem in ipso Creationis opere uti jam  
demonstratum, ineffabili planè ac incomprehensibili modo Spiritus Sanctus  
præsto fuit, suumq; robur atq; Divinitatis radios luculentem satis emisit;  
Ita etiam ad Redēctionis negotium multū contulit, seq; tūm circa Con-  
ceptionem, Christum hominem Redemptorem Mundi, in utero Virginis  
Mariæ, efformando, ita enim Angelus ad Mariam, Spiritus Sanctus super-  
veniet in te, Spiritus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; qvod nascetur  
ex te sanctum, vocabitur Filius DEI; tūm circa Baptismum Salvatoris  
nostris, specie Columba omnium Evangelistarum testimonio præsentem si-  
git. Videntim Spiritum descendenter sicut Columbam, & venientem super  
se. Matt. c. 3. qvod & Prudentius seqventibus approbat versibus, canendo.

A pertis poli per illūstribus jugis  
Discipulus videt à Patre venientem.  
Manentemq; Spiritum in perpuro Verbo,  
Profectum ut Columbam indicibili modo  
Populisq; ostendit occurrentem Domino.

Qui verò factum qvod Columba tanti habita sit, ut in ejus specie Spiritus  
Sanctus comparere voluerit, Origines, Cyprianus, Chrysostomus, Augu-  
stius, aliiq; Patres elegantissimis expresserunt verbis, & Historia Diluviana  
explicat. Nam cum universum aliquando Orbem naufragium commune  
merisset, & omne prorsus hominum genus periclitaretur, istud interim  
certè animal apparuit, fiuemq; illius tempestatis ostendit, atq; ore ramum  
portans olivæ, pacem Mundo redditam nunciavit. Quæ omnia erant fu-  
tuorum signa. Tunc enim multò erat Hominum vita deterior, multo-

qve

que majori digna suppicio. Ne igitur ipse desperes; illius te historiæ confirmat admonitu. Nam tūm quoq; desperatis jam omnino rebus, liberatio facta est atq; correctio: sed tunc utiq; per pœnatum, modò verò per gratiam atq; ineffabilem Redemptoris indulgentiam. Propterea & Columba certatur, neqvam Olivæ ramum fereas, sed omnium malorum Liberatorem nobis evidenter ostendens, spemq; suggestens prospérorum. Non enim ex Arcâ unum educit hominem, sed postquam apparuit, universum prorsus Orbem attollit in Cœlum, qvæ certè pro oleæ ramo omni generi hominum adoptionem detulit filiorum. Considerans igitur tanti amplitudinem munieris, neqvam illius inferiorem existimes dignitatem, qvî se in hujusmodi specie demonstravit. Audio qvippè dicentes aliquos, quantum inter Hominem Columbamq; discrimen est, tantam Christi & Spiritus Sancti esse distentiam: qvia ille quidem in nostra utiq; naturâ, hic verò in specie sit visus Columbae. Ad qvæ respondendum puto; Filium quidem DEI naturam hominis profectò suscepisse, Spiritum verò Sanctum non assumpsisse naturam Columbae. Idcirco Evangelistæ non in natura, sed in specie columbae dixerunt: nec unqyam omnino postea, sed tunc certè solum in hac visum esse figurâ, qvieqvid etiam somniorum ac deliramentorum Laurentius Surius de plurimis in Ecclesia Catholico-Romana Cabonisatis Alowino, Rhadegundi, Leornardo, Gregorio, Fabiano, Remigio, Marina Virgine, Amatore, Beatrice, Nivardo, Catharina aliisq; innumeris refert, ac si in illos per præsentiam Columbarum maxima eaq; admiranda satis sint collata beneficia, qvæ hic recensere nimis longum foret. Mahumetis tamen sceleratissimi & neqvam hominis impium facinus placet inserere, qvem Columbâ adeò cicurem aluisse ajunt, ut cibum ex aure ejus capere perdidicerit, qvod nefarissus ille idèo factitabat, ut sibi cum Spiritu Sancto in Columbae specie secretos in aure sermones esse, qvi ad Religionis suæ falsæ atq; blasphemæ amplificationem pertinerent, ignaro vulgo falso persuadens, facilius in casses suos seduceret. Non solum autem in specie Columbae super Christum Spiritus Sanctus descendit, sed & in specie Ignis ipso Pentecostes Festo qvinqagesimo sc. post resurrectionem Domini die descendit super Apostolos, ut peccatorum in eis rubiginem coassumeret, & ipsos calefaceret ad fervorem & illuminaret ad cogitationem. In qua historia missi & effusi Spiritus Sancti multa memorabilia, admiranda & stupenda occurruunt, qvæ singuli attente considerare & meditari tenemur, ut discamus Spiritus Sancti virtutem & efficaciam. Apparuit ille cum flatu violenti venti, qvî omnia contraria corripit & prosternit, ac securis mentibus terorem incutit. Ubi enim Spiritus DEI vigore debet, spiritus carnis priùs excutiatur oportet. Persæ autore Seneca l. 9. qvæ st. nat. Ventos Deos qvoadam esse credebant, ventis-

que

que hominum vitam acceptam referendam suspicabantur, atq; idcirco di-  
vinos honores impendeant: Sed inanis hæc erat Gentilium opinio, &  
superstitionis plenissima: ex sono enim verbi divini intelligimus ventum  
eccelestem, qui hodie tam vehementer spirat, verum & æternum esse DEUM,  
qui ab Angelis adoratur & per quem nos vivimus ac conservamur. Appa-  
ruit in linguis dispartitis & Nammeis, ostendens Apostolorum Ministerium  
esse sonitum lingua in omnes terræ Nationes & Gentes distribuendum.  
Vilas eis esse dispartitas lingvas instar ignis, quietiam sedit super unumq;—  
que eorum, textus inuit, non quidem ac si Spiritus Sanctus corpus ignis  
assumptisset, sed corporeum hoc symbolum speciemq; in oculos incurren-  
tem saltē elegit, ut gratiosam suam præsentiam concorditer expectanti-  
bus ostenderet. Qyomodo autem symbolum hoc igneum comparatum  
fuerit, non evideat inter se conveniunt autores. Textus tamen expressè di-  
cit, vilas esse eis lingvas divisas, nec frustra additur, qvod ignis instar saltē  
apparuerint & supra unum qvemq; etiam sederint. Capitibus itaq; Aposto-  
lorum lingvas hasce insedisse, non quidem planè igneas sed quasi igneas cre-  
diderim, huncq; ignem Pentecostalem non communi & culpari nec lam-  
benti & adhæresenti physicorum igni per omnia similem, sed planè prodi-  
giosum & divinum fuisse. Tandem repleti omnes sunt Spiritu Sancto, cœ-  
peruntq; loqui alii lingvis. Diversitas lingvarum in diversis Nationibus erat  
impedimentum, quo misericors DEUS verus Israëlis omnib; Mundi Nationib;  
innovaret. Hoc impedimentum hac ipsa die Spiritus S. removit, illamq;  
poenam, qvā impioram coaſilia in ædificatione turris Babel dissipabantur  
è medio fustulit, & omnium lingvarum cognitione, qvā varix sub ecclō spar-  
se Nationes in unitate fidei cursus congregarentur, Apostolos prolixissime  
donavit. Simus & nos, Cives Academicī, unanimis ad exemplum Aposto-  
lorum, pacemq; habeamus, si & nos repleri volumus Spiritu S., non ebrie-  
tati & crapulae indulgeamus, sed Corda nostra ab omni pravo scurriliq; affe-  
ctu & vanitatib; purgemus & vacua reddamus. Hac ratione eveniet, ut decen-  
ter præsentem transfigere Festivitatem, & deinceps per universum vite cup-  
riculum organa divina gloriæ viva salutari possumus. Secus qui fecerint, ac  
toties mouiti emendare improbam vivendi consuetudinem & quam mo-  
strat Sanctissimus Spiritus viam, sectari minimè constituerint, serio eos per-  
ditorum honorum & tūm vel maximè poenitebit, ubi nec locus corrigendi  
nec occasio amplius invenietur.

P. P. Rosochii Sub Sigillo Academie, Feria Prima Pentecostes,  
Anno 1510 LXXVII.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn735977275/phys\\_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977275/phys_0011)





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn735977275/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977275/phys_0012)

**DFG**

que majori digna suppicio. Ne igitur ipse despere  
 firmat admonitu. Nam tum quoq; desperatis jam  
 facta est atq; correctio : sed tunc utiq; per pecunia,  
 atq; ineffabilem Redemptoris indulgentiam. Pro  
 nitur, nequaquam Olivæ ramum ferens, sed omniu  
 rem nobis evidenter ostendens, spemq; suggestens p  
 ex Arcâ unum educit hominem, sed postquam app  
 sus Orbem attollit in Coelum, quæ certe pro olearia  
 num adoptionem detulit filiorum. Considerans igit  
 munieris, nequaquam illius inferiorem existimes d  
 jusmodi specie demonstravit. Audio qvippè dicente  
 Hominem Columbamq; discrimina est, tantam Chri  
 distentiam : qvia ille quidem in nostra utiq; natura  
 visus Columbz. Ad qvæ respondendum puto ; Filiu  
 hominis profecto suscepisse, Spiritum verò Sanctu  
 ram Columbz. Idcirco Evangelistæ non in natura  
 dixerunt : nec unquam omnino postea, sed tunc ce  
 esse figurâ, qvicquid etiam somiorum ac delirame  
 rius de plurimis in Ecclesia Catholico-Romana Ca  
 degundi, Leonardo, Gregorio, Fabiano, Remigio,  
 re, Beatrice, Nivardo, Catharina aliisq; innuméris re  
 sentiam Columbarum maxima eqaq; admiranda sa  
 quæ hic recensere nimis longum foret. Mahum  
 & nequam hominis impium facinus placet inferre  
 cicurem aluisse ajunt, ut cibum ex aure ejus caper  
 fatus ille idè factitabat, ut sibi cum Spiritu Sancti  
 cretos in aure sermones esse, qviad Religionis sua fa  
 plificationem pertinerent, ignaro vulgo falso per  
 suos seduceret. Non solum autem in specie Colum  
 bus Sanctus descendit, sed & in specie Ignis ipso Pe  
 gesimo sc. post resurrectionem Domini die descendit  
 catorum in eis rubiginem consumet, & ipsos ca  
 illuminaret ad cognitionem. In qua historia missi  
 multa memorabilia, admiranda & stupenda occur  
 considerare & meditari tenemur, ut discamus Spi  
 efficaciam. Apparuit ille cum flatu violenti ven  
 corripit & prosternit, ac securis mentibus terroren  
 ritus DEI vigore debet, spiritus carnis priùs excu  
 autore Seneca l. 9. qvæst. nat. Ventos Deos qvæsdam

